

De veritate consultationis a Pippino, ut Rex inungeretur, ad Zachariam directae.

Dissertatio critica, quam explanavit Dom. Bèda Plaine O. S. B.

Inter omnes eventus politicos octavi seculi nullus forsan majoris est momenti evectione Pippini in Regem Francorum loco Hilderici Merovingici, qui e throno dejectus in monasterium Sithivense trusus est. Porro insuper hic eventus cuidam controversiae maximi momenti dedit occasionem. Quaeritur scilicet de hac evectione, utrum prius de ea re consultus fuerit Zacharias Papa necne, utrum auctoritate suprema Romani Pontificis, vicarii Christi in terris, an solo Pippini et Francorum arbitrio lis Hildericum inter et filium Caroli Duditis fuerit finita.

Quae controversia respicit in capite ordinem s. Benedicti, siquidem legati, quos misisse Pippinus scitur, ex isto erant ordine, siquidem sanctissimus Praesul, qui eundem Pippinum oleo sacro pro prima vice perunxisse perhibetur, vocabatur Bonifacius, Germanorum erat Apostolus nostrique fuit in hoc seculo Ordinis praecipuum decus et ornamentum.

Quocirca hanc controversiam de novo in his ephemeridibus retractare, hanc quaestionem de novo legitare, nec ingratum fore nec sine fructu existimans, praefatam Consultationem novo examini subjiciam cum firmo proposito ostendendi eam esse certissimam seu authenticam, utpote Annalium monumentis omni fide dignorum consignatam, utpote diplomatum et similium instrumentorum publicorum testimoniis ineluctabiliter assertam. Aliqua vero praemittam de gravitate hujus controversiae et insuper, ad meliorem intelligentiam dicendorum referre primo breviter, quomodo et quibus circumstantiis ex testimonio Annalistarum meliori fide dignorum peractae sint depositio Hilderici et evectio Pippini ad regiam dignitatem, necesse videtur.

§ 1. Brevis relatio rerum gestarum in exaltatione Pippini Francorum ducis.

Pippinus, cognomento Brevis pro statura corporis, et Caroli Martelli filius successerat patri mortuo (741) et jam a novem annis primo concorditer cum ejus germano Carolomanno, deinde solus post istius abdicationem, regiam potestatem exercuerat in regno Francorum, sed sub simplici nomine Majoris Domus, exemplo patris et antecessorum, quando mentem ejus invasit sceptrum tenendi et nomine regio insigniri cupiditas et ambitio. Quod ex tali exaltatione multa bona procederent scilicet ad pravorum hominum audaciam evertendam et ad superbiorum rebellionem ex diversis partibus insurgentes compescendas, major in Pippino auctoritas et simul zelus ardentior in propagatione

Evangelii et pravorum morum extirpatione, sperabat sine dubio Zacharias, sperabant similiter Bonifacius et ejus discipuli, quorum jam erat adjutor et quasi socius Duditis filius.¹⁾

Utrum vero ex altera parte gravis injuria inferretur injusta Hilderico in tali depositione, res dubia apud multos remanere poterat siquidem iste Hildericus, licet e stirpe regia ortus, ad dignitatem regiam a nihilo non avectus fuerat, nisi benevolentia Pippini et post sex annos sine rege consumptos. Porro qui potest alium sponte sua exaltare, potest ordinarie illum dejicere mutatis circumstantiis. Evolve mentem meam. Hildericus a Pippino exaltatus fuerat, ut melius Franci bono pacis fruerentur, sed e contrario paucis post annis factus vesanus, ut asserunt diplomata coaeva²⁾, rebellibus favebat tanquam discordiarum flagellum. Rebus sic stantibus cur talem regem deponere non tentasset cum consensu Francorum, apud quos, ut scitur, dignitas regia electiva erat, minime video, nec viderunt meo judicio Bonifacius, Zacharias ut sanctissimi horum dierum homines. Quocirca quando dictus Pippinus aliquot ex suis consiliariis Romam mittere cupivit, ut interrogaretur Zacharias Papa de rege Francorum deponendo, nec S. Burchardus Wirzeburgensis episcopus, nec B. Folradus tunc ipsius Pippini Capellanus, et serius s. Dionysii Parisiensis Abbas ei adstiterunt, seu istius legationis fungendae munus recusarunt. Quae legatio chronologica pertinere debet ad annum 749, siquidem testibus Annalistis Folradus tunc temporis erat Abbas, quod tamen contigit anno sequenti.³⁾

Porro quando hi duo missi responsum Zachariae retulerunt in Franciam, eo (responso) prudenter in suum favorum usus est Pippinus, et sic compositis animis Francorum votoque concordiae depositionem Hilderici desiderantibus res peracta est circa finem anni 750 vel initium anni sequentis rege Merovingico tonsurato et truso in monasterium. Deinde pluribus forsans mensibus exactis unctio sacra petenti Pippino collata est a S. Bonifacio tamquam sedis Apostolicae legato circa medium annum 751. Postea tamen in anno 754 Stephano Papa exulante apud Francos, Pippinus, cujus mens aliquot scrupulis primebatur, petiit et accepit ab isto Pontifice novam inunctionem, quae illi, filiis ejus et uxori communis fuit, qua circumstantia insuper assertum est in Papa jus eorum perpetuum fore et exclusivum regni Francorum gubernandi prohibita omni nova mutatione dynastica. Sic ergo res se habuerunt, ut communiter censeant ac asserunt historici: nam, ut jam dictum est, ab aliquibus in dubium revocatur Consultatio

1) Epist. s. Zachariae inter Epistolas Bonifacianas.

2) Carta Lemovicensis anno 751 apud Gall. Christ. t. 2, c. 177.

3) Gall. Christ. t. 7, p. 344.

ad Zachariam directa, quam idcirco vindicare satagam. Et primo quanti sit momenti haec controversia, breviter evolvam.

§ 2. De Momento hujus controversiae.

Ad intelligendum quam gravis sit quaestio de qua agitur, notandum est hic non inquiri praecipue, quibus mediis innixus et quibus auxiliis adjutus Carolingiorum primus et parens nepotes Clodovaei supplantaverit eorumque locum et dignitatem sibi assumpserit. Aliquid gravius adest et multo majoris momenti: utrum societas nova ex Romanis et Barbaris coalescens, novos jam, mediante seculo octavo, induerit mores christi discipulis convenientes, utrum juri veteri Romanorum sub multiplici respectu abrenuntians, novas leges ex Evangelio et Christianis praeceptis pro majori parte desumptas adoptaverit inquirendum est. Nam ni fallor, Consultatio Zachariana philosophi et historici diligentis intuitu nihil aliud est quam initium novae epochae in Annalibus mundi, seu quasi inauguratio suavis dominationis Christi et Ecclesiae super societatem etiam civilem Christianam factam. Aliis verbis vetus societas romana, quae olim equuleos, flagella, ignem, adhibebat et ipsum gladium ad christifideles iniquissime e medio tollendos nunc prorsus devicta est, locumque cessit novae societati, in qua e contra Christus regnat et imperat, in qua ejus Evangelium regula habetur morum et actuum, in qua ejus vicarius, Romanus Pontifex, non solum caput visibile Ecclesiae est et reputatur sed etiam judicatur et agit quasi caput societatis civilis doctor et magister totius mundi, supremus moderator principum, regum et imperatorum. Unctio constans et quasi ininterrupta regum, instauratio sacri imperii Romani, et alia instituta similia medii aevi ex Christianis legibus mutuata, quae tempore opportuno et successive initium sumunt, nihil aliud erant, ni fallor, quam consecraria consultationis Zacharianae, in ea tanquam in radice inveniuntur, ex eaque procedunt suo tempore tanquam fructus ex semine, ut poma ex arbore. Rebus sic stantibus operae pretium est, ut patet, scire primum quid de hac consultatione senserint et dixerint annalistae coevi, et secundo quid de ejus authenticitate inveniatur in chartis et diplomatibus hujus temporis, sed antea aliquid dicam de statu duarum opinionum, quarum una affirmat, altera negat dictae Consultationis authenticitatem.

§ 3. Status comparativus duarum opinionum.

Notum est adagium: »In controversiis non numerantur sed ponderantur testimonia.« Porro in praesenti controversia, antiquitas temporis, numerus simul ac pondus auctorum inveniuntur exclusive ex parte sententiae affirmativae. Sententia vero negans

nova est, paucos fautores numerat, istique fautores parvae sunt auctoritatis. Quod per partes probandum est.

Et primo nova est opinio, quae falsam esse asserit consultationem praefatam, siquidem primum parentem agnoscit Cointium, presbyterum Oratorii Gallici, qui eam anno 1673 contra omnium antiquorum auctoritatem¹⁾ amplexus est. actus desiderio adulandi partibus potentissimi regis Ludovici XIV, cujus potestas regia aliquo modo juxta sententiam erroneam theologorum Gallicanorum²⁾ minuebatur ex Consultatione Zachariana. Pauci tamen et sat parvi nominis fautores eidem sententiae post Cointium adhaeserunt decimo septimo et decimo octavo seculis scilicet Dubois presbyter item Oratorii Gallici,³⁾ Natalis Alexander Dominicanus, Legendre presbyter Cordemoy cum tribus vel quatuor aliis abhinc minus notis.

In praesenti vero seculo eandem opinionem propugnavit D. Guillon (Amatus) magis político motivo ductus quam zelo scientiae,⁴⁾ et post eum apud Gallos D. Mury presbyter in Diario non contemnendae auctoritatis⁵⁾, apud Germanos vero D. Rettberg et P. Damberger S. J.⁶⁾

Si vero sententia, quae consultationi Zacharianae denegat veritatem, nova est paucosque numerat propugnatores, e contra sententiae affirmativae adhaeret ab octavo seculo ad nostros usque dies innumerum agmen Annalistarum et historicorum Francorum, Germanorum, Itolorum ac etiam Graecorum.⁷⁾ quos enumerare seriatim nimis longum est. Sufficiet ostendere, quod a diebus Cointii fideliter et firmiter propugnata sit ab eruditissimis viris et melioris notae historicis. Etenim nominare Henschenium et Papebrochium,⁸⁾ Mabillonium et Ruinartium⁹⁾, Pagium et Fleurium,¹⁰⁾ Benedictinos auctores Galliae Christianae et Artis

1) Mabillonius Annal. O. S. B. t. 2, p. 153, seu lib. XXII n. 55.

2) Cointius: Annales Ecclesiastici Francorum t. 5 ann. 752.

3) Dubois: Hist. Eccles. Paris.; Natalis Alexander: Hist. Ecclesiast. Dissertat unica in octav. seculum; Legendre: Hist. de France; Cordemoy it. t. 1.

4) Upein le Bref et Zacharie Paris, 1817 n. 12.

5) Revue des Questions historiq., ann. 1867, p. 464 et suis.

6) Rettberg: Kirchengeschichte Deutschlands, t. 1, p. 391. Damberger: Synchronistische Geschichte, t. 2, p. 339.

7) Graeci tamen sat obscure rem narrant, attribuendo scilicet Stephano Papae, quod est proprium Zachariae, sed concordant cum nostris quoad substantiam facti, id est evectionem Pippini factam fuisse auctoritate Romani Pontificis, quod est in tali re praecipuum, dicunt et affirmant.

8) Acta ss. de ss. Fulrado, Bonifacio, etc. diatriba ea tribus Dagobertis etc.

9) De re diplomatica, Annales O. S. B.; opp. s. Gregorii Turon. in Append.

10) Critica Baronii ann. 752 Hist. eccl. lib. 13, n. 1.

chronologicae certiorandae¹⁾ etc. quid aliud est quam recensere illustrissimos viros, qui fuerunt XVII^o et XVIII^o seculis principes scientiarum diplomaticarum, historicarum, hagiographicarum?

Quoad nostra tempora sanior et multo major pars historicorum affirmativae, similiter sententiae antiquorum ad instar adhaeserunt, e quibus nominatim adducere mihi juvet Georgium Pertzium et ejus doctos collaboratores,²⁾ item Wurdwein, editorem epistolarum s. Bonifacii, Zeiters, Pfahler, Buss,³⁾ etc. apud Germanos; Cantu et Cardinalem Bartolini apud Italos;⁴⁾ ex Gallis vero Guizot, Bordier et Charton, Laurentie, Bognion,⁵⁾ Ozonam⁶⁾ etc. Unde vides lector, quod nec antiquitas temporis, nec numerus seu pondus auctorum favent negativae sententiae. Quocirca nunc alterius progrediens, quid de consultatione Zachariana sentiunt et asserunt documenta coaeva et primigenia aperiam et edisseram . . . Cum vero numerosiora sint haec testimonia, ne in immensum protaletur haec textuum congeries, non plus quam sex afferam, sed in se habebunt, ut spero, vim ineluctabiliter demonstrativam.

Primo loco et non immerito, ut videbitur infra, ponetur clausula San-Dionysiana.

§ 4. Clausula San-Dionysiana.

Sub nomine Clausulae San-Dionysianae intelligitur aliquod fragmentum historicum seu potius Processus Verbalis duplicis inunctionis Pippini a teste coaevo et partim teste oculato⁷⁾ redactus et assutus ab ipso amanuensi (qui erat idem ac scriptor) ultimae paginae Codicis de Gloria Confessorum scripti anno 767. Proferam ejus textum litteralem et completum, ne aliqua contra istud testimonium ex se decisivum subintroducatur falsa suspicio. Sic ergo se habet.

»Si nosse vis lector, quibus hic libellus temporibus videatur esse conscriptus⁸⁾ et ad sacrorum martyrum pretiosum editus laudem, invenies anno ab Incarnatione Domini septingentesimo

¹⁾ Gall. Christ. t. 5, p. 440, et alibi passim. Art. de verifier les dates — art. Zacharie, Papin etc.

²⁾ Monumenta historica German. t. 1. p. 110 et t. 2, t. 3 etc.

³⁾ Vitam et gesta s. Bonifacii ex professo isti illustrarunt.

⁴⁾ Hist. universalis (Ital.) da S. Zaccaria (Italica).

⁵⁾ Hist. de France.

⁶⁾ Les Francs et les Germains.

⁷⁾ Henschenius, Act. SS. t. 3, martii, dissert. praelim n. 34.

⁸⁾ Videtur esse conscriptus, Haec formula habetur tamquam nota suspicionis ab aliquibus ex nostris adversariis dum e contra signum est authenticitatis, quia ex diplomatica scientia pertinet proprie ad aetatem Merovingicam.

sexagesimo septimo, temporibus felicissimi atque tranquillissimi et Catholici Pippini Regis Francorum filii beatae memoriae quondam Caroli principis,¹⁾ anno felicissimi regni ejus in Dei nomine sexto decimo, indictione quinta, et filiorum ejus eorundemque regum Caroli et Carolomanni, qui per manus sanctae recordationis viri Beatissimi Domini Stephani Papae, una cum praedicto patre gloriosissimo Pippino rege sacro chrismate divina Providentia et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli precibus, consecrati sunt, anno tertio decimo.«

»Nam ipse praedictus Domnus florentissimus Pippinus, rex pius, per auctoritatem et imperium sanctae recordationis Domni Zachariae Papae et unctionem sacri Chrismatis per manus beatorum sacerdotum Galliorum et electionem omnium Francorum, tribus annis antea in solio sublimatus est. Postea per manus ejusdem Stephani Pontificis die uno in praedictorum beatorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii ecclesia [ubi et venerabilis vir Folradus, Archiepiscopus et Abbas esse cognoscitur]²⁾ in Regem et Patricium una cum praedictis Carolo et Carlomanno in nomine Sanctae Trinitatis unctus et benedictus est.«

»In ipsa namque beatorum martyrum ecclesia, una eademque die, nobilissimam atque devotissimam et sanctis martyribus devotissime adhaerentem Bertradam jam dicti florentissimi regis conjugem, praedictus Venerabilis Pontifex regalibus indutam cycladibus gratia septiformis Spiritus benedixit, simulque Francorum principes benedictione et Spiritus Sancti gratia confirmavit, et tali omnes interdictu et excommunicationis lege constrinxit ut nunquam de alterius lumbis regem in aevo praesumant eligere, sed ex ipsorum (lumbis), quos divina pietas exaltare dignata est, et Sanctorum Apostolorum intercessionibus per manus Vicarii ipsorum Beatissimi Pontificis confirmare et consecrare disposuit.«

»Haec ideo caritati vestrae in novissima paginula libelli inseruimus hujus ut per succedentium temporum [curricula]³⁾ et vulgi relatione propago in aevo valeat cognoscere posterorum.«⁴⁾

Haec citatio longa fortasse et partim intricata videbitur sed aliunde tam clare et competenter asserit duplicem inunctionem Pippini (quae ipsa multum confert ad vindicandam consultationis Zacharianae veritatem ut dicitur infra), cum tanta ingenuitate et simplicitate idem res gestas narrat, circumstantias recenset, ut ejus bona fides et veracitas in re tam publica et

¹⁾ Carolus Martellus sic nuncupatur causa honoris, quia recenter obierat non causa ejus sanctae vitae.

²⁾ B. Folradus ab anno 750 usque ad annum 784 s. Dionysii monasterium rexit et sapientissime administravit.

³⁾ Deest vox curricula in apographo.

⁴⁾ Mabillon. De Re diplomatica tabella XXII.

patenti in dubium revocari nequeunt. Si fictor et falsarius fuisset iste monachus Gallus, omisisset circumstantias omnino inutiles, verbi gratia, mentionem reginae Bertradae, in meliori vero luce posita fuisset consultatio Zachariae, dum e contra praefata consultatio in meram phrasim incidentem rejicitur.

Insuper solus delectus titulorum quibus insigniuntur Carolus Martellus, Pippinus et alii denotat auctorem omnino coevum et fere familiarem. Sic Carolus Martellus jam defunctus nuncupatur beatae memoriae honoris causa, item Zacharias et Stephanus sanctae recordationis dicuntur ob eandem causam et ob eorum virtutum famam. E contra Pippinus adhuc vivens et scepra tenens nuncupatur, ut decet, florentissimus, gloriosissimus et similia; filii vero ejus Carolus et Carolomannus regno paterno tantum associati, multo titulo speciali decorantur, dum falsarius maximis laudibus cumulasset istum Carolum, quem magnum secula salutaverunt.

En aliquot signa intrinseca seu extrinseca authenticitatis dictae clausulae. Caeterum quotquot eruditi (nempe Henschenius, Mabillonius, Papebrochius, Ruinartius etc.) eam in membrani originali suis manibus evolverunt, suis oculis sedulo inspexerunt, uno ore laudant, unanimi consensu authenticam esse profitentur. Afferam hic verba Henschenii, cui alii consonant. Sic se exprimit extra omnem ambiguitatem :

»Hoc dictum testimonium in favorem Zachariae invenimus in codice perantiquo, qui apud nos est, ipsius monachi propria manu et conspicuo caractere exarato, in penultimo folio codicis, ante vitas quasdam Sanctorum deinde subjuncto, istic ubi finit liber de Gloria Confessorum, in prima columna versae paginae, paucarum hincorum spatium occupans, leguntur sequentia (id est textus supra allatus) eodem caractere et atramento, quo toti praecedentis libri ac subsequentes eodem in codice vitae.«¹⁾

Quid clarius et ineluctabilius desiderari potest? Unde nihil mirandum, si doctissimus Mabillonius vice sua ingenue fatetur se voluisse ex animo dare manus Cointio in hac occasione, sed non posse post Clausulam San-Dionysianam, quae rem contra Cointium dirimit.²⁾

Tacent vero prudenter de hac clausula Cointius, Natalis Alexander et alii adversae partis fautores, praeter D. Guillon, qui diplomaticarum scientiarum omnino experts, eam suppositiam judicat, ex formulis, quae in contrarium ejus authenticitatis sunt indicia et signa manifesta. Sed tacere aut se ipsum tam inepte

¹⁾ Acta SS. t. 3 Mart. p. XXI.

²⁾ Annales O. S. B. lib. 22 n. 55.

decipere non est idem ac respondere et confutare. Hinc patet vim demonstrativam Clausulae San-Dionysianae manere inconcussam etiam post dissertationes Cointii et ejus sequacium, ita ut deficiente quolibet alio testimonio coaevo sufficeret per seipsam et sola ad vindicandam consultationis Zacharianae veritatem. Sed de facto, nedum dico in talia testimonia coaeva vel fere coaeva, magno e contra numero nobis exhibentur, a quibus aliqua tantum praecipua seligam et illud quod a Fredegarii tertio continuatore affertur.

§ 5. Continuator Fredegarii.

Fredegarium scholasticum prosecutum fuisse usque ad annum 641 Historiam Francorum a s. Gregorii Turonensi incoeptam ab omnibus scitur. Porro ipse Fredegarius quatuor continuatores habuit, scilicet primum, qui gesta aliqua ab anno 641 ad annum 680 collegit, sed nulla auctoritate gaudet. Tres vero alii, qui ab anno 680 ad annum 768 idem opus prosecuti sunt, munus Annalistae quasi ex officio adimplebant sub oculis regis ac ejus procerum; ac proinde eorum testimonium, cujus authenticitas certa est et a nemine negatur, omni fide dignum judicatur praesertim in rebus publicis et maximi momenti, quae omnibus notae erant. Ita expresse D. Bouquet et alii doctissimi viri ac etiam Pertzus.¹⁾ Porro sic narrat tertius continuator facta de quibus agitur in praesenti tractatiuncula.

Anno 749 Pippinus, duce Christo, cum magno triumpho in Franciam venit, ad propriam sedem feliciter remeavit, quievitque terra a praeliis annis duobus.

Anno 752. Quo tempore²⁾ una cum consilio et consensu omnium Francorum missa relatione, a Sede Apostolica auctoritate percepta, praecelsus Pippinus electione totius Franciae in sedem regni cum consecratione episcoporum et subjectione principum una cum regina Bertrada, ut antiquitus ordo deposcit, sublimatur in regno.

Ut vides, lector, in hoc testimonio desunt nomina Zachariae et Bonifacii et insuper duplex inunctio Pippini paulo confunditur, siquidem accedit mentio reginae Bertradane, quae non accepit unctionem nisi a Stephano Papa. Sed ex altera parte in hoc texto asseruntur expresse tum relatio seu legatio missa ad Romanum Pontificem tum auctoritas ab Apostolica sede

¹⁾ Bouquet: *Scriptores Gall.* t. 2, p. 574. *Memoires del' Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*, t. 1, p. 307. Pertzus: *Monumenta German.* t. 1, p. 110.

²⁾ Tempore pacis supradictae, ut patet.

percepta, quae non habuerunt locum ex confessione etiam adversariorum nisi vivente Zacharia ac proinde ex verbis istius Annalistae plene vindicatur consultationis, quae est in causa, veritas et authenticitas.

Proferam tamen aliquot alia testimonia, si non omnimodo coaeva ut praecedens, saltem fere coaeva, seu prolata seculo nono ineunte id est tempore quo facta tam publica in oblivionem venire non potuerant.

§ 6. Annales Laurissenses seu Fuldenses et Nazariani.

Non aliter ac Fredegarii continuator loquuntur Annalistae octavi seculi exeuntis et noni incipientis, sed tamen plures ex illis rem evolvunt et ita in meliori luce eam ponunt, quos inter hic enumerabuntur Annalista Laurissensis cum Annalista Nazariano ac deinde Eginhardus.

Inscius quis ex duobus (Laurissensi et Nazariano) sit primus in ordine temporum primum concedo locum auctori Annalium Laurissensium minorum¹⁾ qui monachus Lareshamensis in Wormatiensi dioecesi scripto mandavit res Francorum gestas ab anno 714 usque ad annum 817 vel circiter. Sic refert facta de quibus hic est controversio:

Anno 750 mittit Pippinus legatos ad Zachariam Papam, ut interrogarent de regibus Francorum, qui ex stirpe regia erant et reges appellabantur nullamque potestatem in regno habebant, nisi tantum quod cartae et privilegia in nomine eorum conscribebantur, potestatem vero regiam penitus nullam habebant, sed quod majores domus Francorum volebant, hoc faciebant. In die autem martis campo secundum antiquam consuetudinem dona illis regibus a populo offerebantur et ipse rex sedebat in sella regia circumstante exercitu et majore domus coram eo praecipiebatque die illo quidquid a Francis decretum erat, die vero alia et deinceps domi sedebat.

Zacharias igitur Papa secundum auctoritatem Apostolicam ad interrogationem eorum respondit: »melius atque utilius sibi videri ut ille rex nominatur et esset, qui potestatem in regno habebat, quam ille qui falso rex appellabatur.«

Mandavit itaque praefatus Pontifex regi et populo Francorum ut Pippinus, qui potestate regia utebatur, rex appellaretur et in

¹⁾ Hic titulus additus est ad distinctionem Annalium Nazarianorum qui etiam Laurissenses vocantur.

sede regali constitueretur. Quod ita et factum est per unctionem s. Bonifacii archiepiscopi in Suessionis civitate.¹⁾

Hucusque Annalista.

Hoc testimonium, cujus authenticitas et auctoritas certissimis indicium probantur,²⁾ non notum fuit Cointio et aliis, siquidem a Pertzio recenter pro prima vice editum habetur.³⁾ Porro explicite res gestas narrat, quin omittat nomina propria Zachariae et Bonifacii, quae apud aliquot alios annalistas coevos desiderantur.

Alius Annalista, qui similiter vocatur Laurissensis seu Nazarianus ex s. Nazario, uno ex patronis istius monasterii, non erat ejusdem domus monachus, sed nomen videtur impositum ex codice antiquo hujus asceterii, qui primus istos annales exhibuit; eadem narrat ac praecedens et non minus clare. En ejus verba:

Anno 749 Burghardus Wirzeburgensis episcopus et Folradus Capellanus missi fuerunt ad Zachariam Papam, interrogando de regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regalem potestatem, si bene fuisset an non. Et Zacharias Papa mandavit Pippino, ut melius esset illum regem, qui potestatem haberet, quam illum, qui sine regali potestate manebat. Ut non conturbaretur ordo per auctoritatem apostolicam jussit Pippinum regem fieri.

A. 750 Pippinus secundum morem Francorum electus est ad regem et unctus par manum sanctae memoriae Bonifacii et elevatus a Francis in regno in Suessionis civitate. Hildericus vero, qui false rex vocabatur tonsuratus est et in monasterium missus.⁴⁾

Haec narratio videtur pertinere anonymo, qui res gestas sui temporis ab anno 707 ad ann. 790 litteris exaravit quasi ex officio teste Bouquetio et Pertzio et aliis melioris notae criticistis.⁵⁾

Caeterum ejus auctoritas et veracitas adhuc comprobantur ex numerosis annalisticis noni seculi, qui eum exscripserunt quasi de verbo ad verbum, inter quos numerantur Cilianus, Loiselianus, Bertinianus, Metensis etc. Eginhardus ipse videtur eosdem Annales similiter exscripsisse, sed de eo paulo latius dicere necesse erit.

1) Pertz: Monumenta German. t. 1, p. 116.

2) Id., ibidem.

3) In multis tamen concordent Annales Laurissenses minores cum Annalibus Fuldensibus a Lambecio editis.

4) Monumenta histor. German. t. 1, p. 136 et 138.

5) Ibid.

§ 7. Eginhardus.

Eginhardus Abbas Selingestadensis et prudentissimus virorum sui temporis, ut sentiebant antiqui,¹⁾ cui debentur tum vita et gesta Caroli Imperatoris Magni, tum Annales sui temporis et alia scripta, a Cointio, Natali Alexandro et recentissime a D. Mury insimulatur erroris et contradictionis in narratione elevationis Pippini ad regnum²⁾ sed error et falsitas non inveniuntur nisi ex parte ipsorum insimulatorum ut facile probabitur, postquam protulerim ipsa verba Eginhardi. Sic habentur primo in *Annales*, qui sub ejus nomine vulgantur.

A. 749 Burchardus Wirceburgensis episcopus et Folradus, presbyter capellanus, missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent Pontificem de causa regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum regis, sed nullam potestatem regiam habuerunt; per quos praedictus Pontifex mandavit melius esse illum vocari regem, apud quem summa potestatis consisteret dataque auctoritate sua jussit Pippinum regem constitui.

A. 750 Hoc anno secundum Romani Pontificis sanctionem Pippinus Rex Francorum appellatus est et ad hujus dignitatem honoris unctus sacra unctione manu sanctae memoriae Bonifacii archiepiscopi et martyris, et more Francorum elevatus in solium regni in civitate Suessona. Hildericus vero, qui falso regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est.³⁾

Quid expressius tali relatione inveniri potest ad stabiliendam consultationis Zacharianae authenticitatem? Hic nec nomina propria desunt, nec principalium circumstantiarum enumeratio. Unde ad talium verborum virtutem labefactandam asserere ausi fuerunt Natalis Alexander et alii,⁴⁾ quod Eginhardus non sibi concordaret, quod pugnaret secum; in cujus assertionis probationem afferuntur duo textus Vitae Caroli Magni sed probatio non valet ex eo quod verba auctoris et eorum verus sensus detorquentur. En prima verba Eginhardi falso allegata:

»De Caroli nativitate atque infantia vel etiam pueritia, quia neque scriptis unquam declaratum est, nec quisquam modo superesse invenitur, qui horum se dicat habere notitiam, scribere ineptum judicans, ad actus et mores caeterasque illius vitae partes explicandas, ac demonstrandas, omissis incognitis, transire disposuit?⁵⁾ Si ita est, ratiocinantur adversarii, multo minus scivit

¹⁾ Monumenta Germaniae historica t. 1, p. 133.

²⁾ Annales Ecclesiastici Francor.; Histor. eccles.; Revue des Quest. histor. locis citatis.

³⁾ Monumenta Germaniae historica t. 1, p. 139.

⁴⁾ Natalis Alexander loco citato, objic. 1^o, Mury, loco citato p. 474.

⁵⁾ Vita Caroli magni n. 4.

Eginhardus res gestas ante Caroli nativitatem, ac proinde quod de Pippino per auctoritatem Zachariae Papae rege facto retulit, proprium est ejus commentum.«¹⁾

Quibus respondendum est rem admitti posse tanquam probabilem, si de gestis comparibus et ejusdem generis ageretur, sed e contra res sunt omnino dissimiles. Nam ut patet, vita cujuslibet puerilis domi latet et paucis est manifesta, dum e contra vita regum et principum latere non potest, sed omni populo nota est, praesertim quando agitur de factis eorum publicis, ut in praesenti circumstantia. Hinc argumenti vis contra ipsos insimulatores retorquetur.

Instant vero adversarii addentes, quod alibi Eginhardus Stephano Pontifici attribuit res gestas a Zacharia, ac proinde testimonium ejus nullius est valoris. En textus unicus, qui tali calumniae dare potuit locum.

»Gens Merovingorum, — ait Eginhardus incipiens Vitam Caroli Magni — de qua Franci reges sibi creare soliti erant usque in Hildericum regem, qui jussu Stephani Romani Pontificis depositus ac detonsus atque in monasterium trusus est, durasse putatur.«²⁾ Dehinc compendiose refert Pippini res gestas usque ad abdicationem fratris ejus Carolomanni, et tunc sic se exprimit:

»Pippinus autem per auctoritatem Romani Pontificis ex praefecto palatii rex constitutus per annos 15 aut eo amplius solus Francis imperat.«³⁾

Duo hic asseruntur scilicet Hildericum depositum fuisse jussu Stephani Pontificis, Pippinum vero per auctoritatem Romani Pontificis ex Praefecto Palatii regem constitutum fuisse, sed talia dicens Annalista nec sibi contradicit, nec ignorantiae seu erroris insimulari potest. Etenim certum est ex praemissis a Stephano pro secunda vice inunctum fuisse Pippinum et pro facto consequenter Hilderici exaurationem simul confirmatam fuisse: ac proinde relate huic primae assertioni omnino intra limites veritatis circumscribuntur verba Eginhardi.

Relate vero secundae eodem modo se gessit iste auctor. Etenim minime contendit Consultationem, de qua hic habetur, ad Stephanum Papam directam fuisse, quod esset erroneum; sed Pippinum per auctoritatem Romani Pontificis ad dignitatem regiam evectum fuisse simpliciter asserit, quod et nos asserimus cum omnium antiquorum auctoritate; de quo Pontifice loquitur Eginhardus? res non est omnino certa: nam inter eruditos, utrum mortuo jam Zacharia, ac sedente in sede Petri Stephano prima Pippini inunctio habuerit locum controvertitur. Sed quidquid est,

¹⁾ Natalis Alexander, loco citato etc.

²⁾ Vita Caroli magni n. 1.

³⁾ Ibid. n. 2.

rem esse factam auctoritate seu potius consilio Romani Pontificis certum est, ac proinde nedum falsitatis vel erroris insinuari potest Annalista, fit e contra testis veritatis et testimonium, quod profert ut familiaris Pippini filiorum et nepotum ejus maxima debet gaudere auctoritate.

Hac prima objectione adversariorum soluta, nanciscor occasionem diluendi similiter alia eorum objecta.

§ 8. Solvuntur objecta partis adversae ex silentio aliquot Annalistarum petita etc.

Objecta scriptorum, qui Consultationem ad s. Zachariam directam supposititiam esse et fabulosam contendunt, nihil aliud sunt quam merae cavillationes et sophisticationes ac proinde nullius reputanda sunt valoris. Quae res ut clarius et simplicius probari possit, ad duo reducam dicta objecta. Et primo ex silentio tum primi biographi S. Bonifacii tum aliquot Chronistarum et documento publicorum arguit D. Mury post Cointium et alios praefatam Consultationem commentitiam esse,¹⁾ sed tacere non est idem ac negare et contradicere ac proinde nihil probat contra assertionem expressam et explicitam Fredegarii continuatorum et aliorum coaevorum silentium Annalium s. Amandi, Laubiensium, Weingartensium et similium, quorum auctores non erant coaevi sed decimi vel undecimi tantum seculi. Idem dicendum est de silentio s. Willibaldi, qui innumera tacuit scienter aut oblivione in vita brevissima s. Bonifacii. Quoad instrumenta ex archivis desumpta non omnimodo tacent de praefata Consultatione, ut asserit D. Mury, testibus Clausula San-Dionysiana supra allata, etiam quadam epistola Ludovici junioris filii Lotharii imperatoris, quam hic exhibere mihi juvat, quia, licet parum nota, multam tamen habet, ni fallor, vim demonstrativam. Sic ergo loquitur nepos Caroli Magni imperatoris et ipse jam imperator in epistola ad Basilium Graecorum imperatorem, cujus epistolae scopus est ostendere quam juste Francorum principes et Reges et Imperatores nuncupentur:

»A Romanis hoc nomen (Regis seu imperatoris) assumpsimus, apud quos profecto nimirum tantae culmen sublimitatis et appellationis effulsit . . . et a qua (Ecclesia Romana) regnandi prius et postmodum imperandi auctoritatem prosapiae nostrae seminarium sumpsit.²⁾ Nam Francorum principes primo reges, deinde vero imperatores dicti sunt ii duntaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt.«³⁾

¹⁾ Revue des Quest. histor., loco citato p. 480.

²⁾ Gens enim Carolingica accepit titulum regis in Pippino, titulum vero imperatoris in Carolo magno, ut scitur.

³⁾ Epistol. ad Basilium imperator. circa anno 871 scripta apud Bouquet scriptor. Gall. t. 7, p. 574.

Ex hoc textu sequitur ineluctabiliter (nam in tali materia supponi nequit error vel ignorantia ex parte scribentis) Pippinum a solo Romano Pontifice nomen et auctoritatem regiam accepisse. Et de facto ante annum 750 exemplo patris et antecessorum in diplomatibus et aliis instrumentis publicis major domus vocabatur,¹⁾ eodem titulo vel alio simili nuncupabatur a Romanis Pontificibus, a s. Bonifacio et aliis.²⁾ Sed e contra post primam unctionem et ante secundam, quam accepit anno 754 a Stephano Romano Pontifice, idem Pippinus jam titulo regis insigniebatur a Bonifacio et aliis;³⁾ ipse eundem titulum sibi assumebat in instrumentis publicis.⁴⁾ Ergo hoc nomen regis, hanc auctoritatem regiam a praedecessore Stephani acceperat, id est a Zacharia, et consequenter iste Pontifex revera consultus fuerat, revera dederat responsionem, de qua tracto.

Alia instrumenta publica sine dubio proferri possent, in quibus similiter dicta consultatio expressam vel saltem implicitam obtineret mentionem: sed haec sufficiunt ad finem propositum. Nunc vero quaerendum est, utrum aequitati et sanctitati Zachariae responsio, quam novimus, repugnet et officiat, ut magnis vocibus conclamarunt Cointius, Natalis Alexander et recentius D. Mury. Post quam confutationem objectorum partis adversae, Zacharianae Consultationis certitudo manebit inconcussa hancque tractatiunculam feliciter concludere licebit.

§ 9. Responsio Zachariae non ejus sanctitati repugnat.

»Judicium, quod in causa Childerici Regis a Zacharia latum perhibetur, ab ejusdem Pontificis aequitate et sanctimonia penitus alienum est. Childericus enim jure hereditario Rex erat, a novem annis in solio erat collocatus, nihil peccaverat, quo possit a Regni possessione deturbari.«⁵⁾ sunt verba Natalis Alexandri, cui alii consonant. Verba sunt sed non argumenta nec probationes. Nam utrum revera bene vel male Hildericus viverat, penitus nescimus. Similiter multa alia ignoramus, per quae Zacharias Romanus Pontifex impelli potuit ad agendum ut egit.

Nam cur, o bone, vicarius Christi a regnandi cupiditate Francorum principem prohibere tentasset forsane sine ulla spe boni exitus? Nonne theologi, docent quod a correctione fraterna

1) V. Diplomata Pippini apud D. Bouquet. t. 4, p. 715 et seq.

2) Wurdwein: Epist. s. Bonifacii, passim.

3) Ibid.

4) De Bouquet, loco citato t. 5, p. 697 et seq.

5) Natalis Alexander. Dissertatio citata, initio.

desistendum est, quando probabiliter correctus non admonitionem recipiat? ¹⁾ Ex altera parte indubio teste Apostolo et theologis non sunt facienda mala, ut eveniant bona; sed in responsione Zachariae nihil mali includitur. Interrogatus enim si bene fuisset an non, quod nomen et dignitas regia pertinerent ad eos, qui non habebant de facto regalem potestatem, respondit simpliciter melius esse illum, qui potestatem habebat, nomine regio similiter insigniri. Non ultra se extendebat Burchardi et Fulradi missionis objectum secundum Annalistam Laurissensem et Eginhardum supra citatos, duos solos auctores, qui nominatim Pippini legatos notos nihil faciunt; non ultra progredi debuit sapiens moderamen et discretio Curiae Romanae. Dico amplius, quod nec etiam forsitan ultra hos limites simplicis responsionis consiliativae progredi potuisset Romanus Pontifex; volo dicere, quod si Zacharias sponte sua jussisset, inconsultis Francorum proceribus, exauctorari Childericum et Pippinum in solio sublimari, iidem proceres, quibus ex avitis institutis et veteri consuetudine jus eligendi reges incumberat, talem electum uno ore forsitan respuissent, Hildericum vero in trono Merovingiorum conservassent.

Hinc patet verba Mandavit, Jussit Zacharias, quibus utuntur aliqui Annalistsae, in sensu mitiori intelligi debere seu in hoc sensu: non prohibuit. Nullam ergo Romanus Pontifex partem habuit activam, ut loquuntur theologi, sive in depositione Hildericum, sive in ejus trusione in monasterium, sed quidquid illiciti et iniqui forsitan gestum est in hoc duplici facto, in solum Pippinum redundat et in proceres Francorum, qui suis suffragiis hanc mutationem dynasticam peregerunt.

Sic etiam facile intelligitur magis apparentem hic esse quae verum defectum concordiae inter Annalistas, dum alii attribuunt evectionem Pippini suffragiis et voluntati procerum Francorum, alii vero auctoritati s. Zachariae. Nam duo haec concurrerunt ad eundem effectum scilicet consilium Zachariae, non auctoritas. — verba sunt Mabillonis, quem nominare sat laudare est; ²⁾ — et suffragia procerum gentis Francorum. Nam accepto consilio favorabili Zachariae pedetentim postea compositi sunt Francorum animi ad coronationem Pippini, ³⁾ quae tamen non peracta est sine eorum suffragiis ac proinde utrumque verum est sub aliquo respectu evectionem Pippini deberi et consilio Papae et votis Francorum; nec adest ulla contradictio inter Annalistas, ut contenderunt Cointius et ejus sequaces.

Quod aliunde quidquid iniqui gestum est in his circumstantiis in Pippinum solum redundare debere certum est etiam

¹⁾ Thomae Aquin. II. II. qu. 33 art. 6.

²⁾ Annal. O. S. B., lib. 22, n. 55.

³⁾ Ibid.

ex praemissis, ac etiam ex ipsius saltem implicita confessione. Nam cur postea a Stephano Pontifice pro secunda vice ungi voluit Pippinus et insuper ejus et filiorum ejus jura regalia tam solemniter affirmari, ut fert clausula San-Dionysiana super allata,¹⁾ nisi quia aliqua dubia et reclamationes passim sciebantur de modo, quo facta fuerat depositio ultimi Merovingici? Explicite res narrat Theophanes, historicus graecus fere coevus, nam quod Stephanus Papa absolverit regem Francorum a perjurio in Regem Hildericum commisso²⁾ expresse asserit, quod etiam post eum retulit duodecimo seculo Otto Frisingensis.³⁾

Conclusio.

Quidquid sit aliunde de circumstantiis et motivis, quibus impulsus s. Zacharias juste ac sapienter Pippinum prohibere a regnandi cupiditate abstinuit, non sunt neganda vera propter quaedam obscura juxta adagium universaliter receptum in philosophia. Unde licet nostram ignorantiam circa haec, quae sunt secundaria, fateamur, vis nihilominus et virtus argumentorum supra allatorum manet inconcussa ac proinde firmiter tenendum est Legationem a Pippino ad s. Zachariam directam authenticam probatam esse et certissimam.

Hodie profecto talis consultatio non jam habet locum nisi rarissime: Quotiescumque enim nostris diebus exsurgunt sive res dubiae in medio alicujus populi sive discordia inter varia regna christiana, recurritur ad coetus et consilia eorum, qui videntur sapientia praefulgere vel etiam ad vota expressa totius multitudinis. Sed ad quid proficiunt haec nova agendi ratio, hi coetus delectorum virorum (gallice: congrès, anglice meetings) seu haec vota totius multitudinis (gallice: suffrage universel)? Numquid lites in his coetibus ordinarie discutiuntur juxta aequitatis et justitiae normam? Numquid ex his stabiliri possunt concordia inter cives et pax inter populos? Res est plus quam dubia experientia teste. Proinde nostris diebus infeliciora vocare tempora medii aevi nihil aliud esset quam mentiri historiae, siquidem tunc temporis Consultatio Zachariana quasi exemplar fuit, juxta quod Romanus Pontifex, caput totius societatis etiam civilis ejusque moderator supremus, pacem inter hostes multoties conciliavit, oppressionem populorum a tyrannis et potentibus compescuit, barbariem et morum corruptionem repressit, litterarum renascentiae praefuit, et multa alia bona populo christiano contulit.

Quocirca istius Consultationis authenticitatem vindicare alicujus esse pretii operam eo facilius existimavi, quod hodie

¹⁾ § 4 circa finem clausulae.

²⁾ Theophanes: Chronica ann. Constantini Copronymi.

³⁾ Chronicon mundi, anno 753.

aliquahter reviviscunt vetera tempora. Nam recentissime, ut scitur, Sapientissimus Pontifex Leo Tredecimus, qui Petri naviculam inter tot adversa et pericula tam provide regit et gubernat, inclamatus est, stupente mundo, tanquam pacis sequester Germanos inter et Hispanos, eoque obviante imminentis belli pericula procul amota fuerunt. Faxit Deus, ut praesens dissertatio, licet exilis et minus, quam decet, compta, ad aliqualem profectum scientiarum historicarum proficiat! Faxit etiam Deus, ut exemplo Pippini reges et populorum duces Romanum Pontificem supremum totius societatis moderatorem semper existiment, illumque frequenter consulant, tamquam litium extinctorem felicemque pacis inter populos et regna mediatorem.

Der »Sermo Dominicus« am Gründonnerstage:

Liturgische Studie von P. Bonifaz Wolff.

Das Dominikaner-Missale enthält gegen Ende, unmittelbar nach den verschiedenen Benedictiones, Vorschriften für eine in neueren liturgischen Büchern nur selten mehr vorgesehene Function. Die Ueberschrift lautet: »Feria quinta in Coena Domini. De Sermone Dominico.« Folgendes ist der Inhalt der ziemlich ausführlichen Rubriken:

Während des Mandatum gehen der dazu bestimmte Diakon, sowie Subdiakon, Ceroferare und Thuriferar, nachdem ihnen Füße und Hände gewaschen worden, zur Sakristei, wo sie die entsprechenden Gewänder wie an den höchsten Festtagen anziehen. Nach dem Mandatum, sobald der Prior und die Brüder sich im Capitel versammelt, erscheint der Diakon mit seinem Zuge (ohne den sonst üblichen Kreuzträger). Der Prior segnet den Weihrauch, welchen der Thuriferar selbst (im Hochamt der Dominikaner legt der Diakon ein) auf die brennenden Kohlen streut. Darauf empfängt der Diakon den Segen und indem er sich gegen Norden, oder, wenn solches nicht angeht, zum Crucifix hinwendet, singt er in feierlichem Tone und unter den gewöhnlichen Ceremonien das Evangelium von der Fusswaschung, Joh. 13, 1—15.

Soweit hat der Ritus nichts von dem der jetzigen römischen Messe besonders Abweichendes. Nun aber tritt eine wesentliche Veränderung der Scene ein. Der Subdiakon entfernt vom Leseputl das kostbare Kissen, auf welchem das Evangelienbuch zum Zeichen grösserer Feierlichkeit ruhte, und setzt sich mit den Akoluthen und dem Weihrauchträger, welche Leuchter und Thuribulum bei Seite stellen, auf die in der Nähe bereitstehenden Sitze. Auch die Communität lässt sich auf den rings das Capitel umgebenden Bänken nieder, indess der Diakon, allein aufrecht stehend und nun auf alle Fälle zum Kreuze gewendet, »in tono lectionis« den